



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae**

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus  
distributa. Quorum primus De Angelis

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1621**

Prooemium Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)



# P R O O E M I V M A D L E C T O R E M.



Vm duplex sit de Deo consideratio; altera absoluta, qua diuinam naturam, eiusque attributa, & personas, quæ in illa subsistunt, contemplamur; altera respectiua, qua eundem Dominum vt se creaturis communicat, easque ad se conuertit, ac reuocat, speculamur; vtramque scholastica Theologia complectitur. Ideoque licet multa de creaturis disputet, nunquam ab obiecto suo, quod Deus est, diuertitur; quia creaturas, non nisi velut à Deo emanant, vel ad eum tendunt, vel, quod perinde est, vt earum cognitio ad Deum pro huius vitæ statu melius cognoscendum necessaria est, considerat. Atque ita de Deo sub prior ratione absoluta disputant Theologi cum Magistro in lib. *sententiar.* sub posteriori verò in *2. a principio.* D. Thomas autem in *sua 1. part.* vtramque considerationem amplexus est, nam priorem per primas quadraginta quatuor questiones, posteriorem verò per reliquas questiones, vel potius per cæteras iuxta Theologiæ partes profecquitur.

1. *Tractationem hanc etiam pertinere ad Theologiam.*

Nos verò priorem huius doctrinæ partem in opere quod *De Deo vno, & trino* inscripsimus, pro tenuitate nostra elaboratam superioribus annis in lucem emisimus, & pro temporum opportunitate alteram profecqui promissimus. Et quamuis in cæteris operibus postea editis ab intentione propolita nõ discesserimus, in omnibus enim Dei veram cognitionem vel illustrare, vel defendere conati sumus: propter varias nihilominus vel docendi, vel scribendi occurrentes occasiones inchoatum opus continenter profecqui nõ potuimus. Id verò aliis iam occupationibus ex parte liberati, & commodiorem temporis occasionem nacti, tandem præstamus, diuinæ clementiam exorantes, vt qui dedit incipere, donet & perficere.

2. *Ratio prætracti operis*

Præsentem ergo partem secundam vniuersam *De Deo creaturarum omnium effectore* inscribimus, quia omnem de Deo considerationem, quæ per respectum ad creaturas sumitur, in aliquo genere causæ fundari necesse est. Nullum enim habitudinis genus inter Deum, & creaturam spectari potest, quod in ratione causæ, & effectus non nitatur, vel ad illam reuocetur. Duobus autem præcipuè modis Deus est cæterarum rerum causa, nimirum, vel efficiens, vel finalis. Et iuxta hæc duo causarum genera, bipartita est hæc respectiua de Deo cõtemplatio: vna enim de Deo vt prima efficiente causa, altera de eodem vt vltimo fine existit. Illæ autem duæ causarum rationes ita inter se comparantur, vt licet finalis in mente operantis, seu in intentione præcedat, ab efficiente executio incipiat, & per eius influxum perfectio ipsius operantis nobis potissimum manifestetur. Et ideo post absolutam de Deo vno, & trino disputationem, hæc de Deo creaturarum omnium effectore conuenienti methodo subsequitur, quem etiam ordinem D. Thomas in sua prima parte obseruauit. Vnde licet hoc opus, quia partem scientiæ Theologiæ continet, merito de Deo inscribatur, nihilominus in operibus eius explicandis directe, ac proximè versari necesse est; quia non potest Deus sub illo respectu nisi cognitio eius operibus rectè cognosci, & ideo opus ipsum in varios tractatus de diuersis Dei effectibus diuidemus. Et primus quidem de opere creationis in genere futurus esset, quoniam ab illo opera Dei extra ipsum incipiunt. Atque ita de illo tam D. Thomas in *sua prima parte à q. 44. vsque ad 49.* quam Magister, ac reliqui Scholastici in principio libri *secundi sententiarum* disputarunt. Nos verò in *tom. primo Metaphysicæ disput. 20.* de creatione disseruimus, quam disputationem hinc repetere necessarium non duximus, neque sub illa generali ratione aliquid ad Theologicum institutum pertinens addendum in præsentem occurrit. Nam si quid fortè desideratum fuerit, totum id de varijs creaturis disputando, melius in particulari dicetur.

3. *Inscriptio nis ratio.*

4. *Consecratio huius 2. partis ad priorẽ de Deo. Eius metat.*

Erunt igitur præsentis operis, seu secundæ partis de Deo, tres tractatus principales. *Primus* de creaturis incorporeis, quas angelos vocamus: *secundus* de corporalibus, prout à Deo sex diebus creata, ornata, ac distincta sunt, vbi etiam de primi hominis creatione, innocentiæ statu, illiusq; amissione dicemus. *Tertium* de anima præsertim rationali cum D. Thoma instituemus. Nam sicut homo inter omnes creaturas singularem habet corporis, & spiritus compositionem, ita peculiarem etiam considerationem postulat, maximè illius partis, quæ in eo præcipua est, & omnis boni, vel mali, felicitatis, vel miseriæ fundamentum. Quem tractatum ob eam maximè rationem huic operi adiungendum duximus, quoniam sicut in

4. *Distributio totius 2. partis de Deo creatore.*



Tertium Metaphysica speculatiue Theologiae fundamenta iecimus; ita hinc ad moralem Theologiam viam parare cupimus. Pendet autem moralis doctrina ex interna animi, & facultatum, ac operum eius cognitione, ideoque quicquid ad eum finem vtilius iudicabimus, diligenter in hoc tractatu de anima, quem ob hanc causam saepius promissimus, diligenter inquirere, & expedire curabimus.

*Tertium  
hunc tractatum  
auctoris  
mors in  
terruptis  
factus tamen  
est ex eiusdem  
prelectionibus  
olim datus  
in schola.*

*Tractatus vniuersi de Angelis, seu de spiritualibus creaturis, praeludium.*

*1.  
Naturalis  
Theologia,  
& Philosophia  
de Angelis  
etiam  
tractant in  
fiori quodam  
modo.*

**D**isputatio de spiritualibus creaturis per se spectata ad naturalem Theologiam, seu Metaphysicam pertinet, cuius proprium est de rebus, quae in suo esse abstrahunt à materia, differere; imò etiam à Philosopho naturali sub habitudine ad sensibilem motum caelestis corporis attingitur. Et ita de Angelis sub ratione caelestium motorum agit Aristoteles in lib. 8. *Physicor.* & plura in lib. 12. *Metaph.* vbi eos *intelligentias* vocat. de quibus in aliis operibus saepius mentionem facit. Et antiqui eius expositores tam Graeci, quam Arabes, Plato etiam multa de his spiritibus, quos interdum *Deos secundarios*, interdum *animas caelorum, & astrorum*, interdum *species separatas* appellat, disputauit, cuius mentem late exposuit D. Thom. opusc. 15. cap. 1. At Marfil. Fulcin. in *Comment. ad Conuinium Platonis orat. 6. cap. 3.* & in argumento ad *librum seu dial. 11. de Legibus in principio*, verba Platonis in bono sensu interpretatur. Et talia ex Philosophis congerit de Angelis, Augustin. Eugub. in lib. 8. de *peren. Philosoph.* Et propterea nos in *tomo 2. Metaph.* de spiritualibus substantijs disputationem 35. instituumus, in qua naturam, & proprietates earum ex effectibus, vel principijs naturalibus, quoad fieri potuit, inuestigauimus. quae hinc repetenda non sunt, sed vel altiori modo eadem confirmanda, vel ea, quae ratio naturalis non assequitur, addenda erunt.

*2.  
Altiori vero  
Christiana  
Theologia.  
Nomen angelorum  
ab officio, non à  
natura desumptum est.*

At verò Theologia Christiana sub altiori lumine, & ex principijs à Deo reuelatis de eisdem substantijs disputat, quas etiam proprio nomine à diuinis Scriptoribus desumpto Angelos appellat. Circa quod nomen sciendum est, ab officio esse desumptum, quamuis iam substantias ipsas, quatenus spirituales sunt, & immateriales, significet. Ita Dionys. c. 4. de *Diuin. nom.* & communiter Patres in id Psal. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus.* & in id ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus.* Sicque accipiendum est, quod dixit Gregor. homil. 34. in *Euang.* Angelorum vocabulum nomen est officij, non naturae; utique iuxta primaeuam suam impositionem. Idemque habet Ildor. lib. 7. *Origen. c. 5.* & lib. 2. *Sentent. cap. 10.* Et prius docuerant Cyrillus lib. 1. in *Ioan. cap. 2.* & antea Hilari. lib. 5. de *Trinitate.* vnde ostendens posse hoc nomen Verbo Dei tribui sine prauiudicio diuinitatis. Sic etiam August. 2. de *Trinit. cap. 13.* dicit, nomen Angeli interdum Verbo incarnato attribui, vt Isa. 9. *Magni consilij Angelus.* Et Malach. 3. dicitur Angelus testamenti, & addit posse etiam de Spiritu sancto dici, quia de illo dictum est, *Quae ventura sunt, annuntiabit vobis.* Ioan. 16. Pater autem non dicitur Angelus, quia non mittitur, vt notauit Ildor. lib. 7. *Orig. cap. 3.*

*3.  
Homines ratione  
officij Angeli  
dicuntur.*

Hinc etiam è conuerso homines ratione officij solent in Scriptura Angeli vocari, vt Ioan. Baptista Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum,* vt Christus exposuit *Matth. 11.* Et Sacerdotes, *Malach. 2. cap. 1. 2. & 3.* Quomodo multi exponunt illud 1. *Corinth. 11. Mulier habere debet potestatem supra caput propter Angelos.* Vnde merito dixit Terrullian. lib. contra *Iudaos cap. 9.* non esse nouum Spiritui sancto Angelos appellare eos, quos ministros virtutis suae praeterecit. Vnde Hieronym. *epist. 150. ad Algas q. 5.* dixit Apostolos vocari Angelos. idemque de Prophetis dixit Ambr. ad *Gal. 3.* Nihilominus frequentiori vsu, ac communi superiores Spiritus Angeli vocantur, iuxta illud Pauli ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi.* Vbi etiam allegat illud Psal. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus,* id est, eos, qui natura sunt spiritus, facit esse Angelos suos, iniungendo eis officium nuntiandi, vt ibi exponit Augustin. & 15. de *ciuit. cap. 23.* vnde Dionys. *cap. 4. de caelesti Hierarch.* dicit, caelestes spiritus ideo praeter omnibus Angelicum cognomen meruisse, quod eum in eos primo diuinae claritatis fulgor emanet, ipsi postmodum in nos enuntiationes illas sublimiores supernè traieciunt. & similia habet Chrysost. *homilia 3. de incomprehens. natura, à medio.*

*4.  
Nomen angeli in bonam  
partem communis  
accipitur.*

Ex quorum Patrum verbis colligimus, Angelorum nomen absolute dictum, & quasi per antonomasiam in bonam partem accipi, & sanctos Angelos significare, quia illi sunt praecipue Dei nuntij, quos ipse proprie ad sua mysteria manifestanda, & ad bonum totius vniuersi procurandum mittit. Et hinc etiam homines singularis sanctitatis Angeli vocari solent, vt Aug. notat *libro quaest. in Genes. q. 3.* & Ambr. lib. de *Noe, & Arca, c. 4.* Nihilominus tamen etiam hoc nomen inuenitur demonibus tributum in Scriptura, vt *Matth. 25. Qui paratus est diabolo, & angelis eius,* vbi etiam nomen Angeli officij esse videtur, quia mali angeli inferiores ministri sunt diaboli, id est, supremi spiritus mali, de quo dicitur *Apocalyp. 12. Proteus est draco ille magnus, &c. Et angeli eius cum eo missi sunt.* Et sic etiam Paulus 2. ad *Corinth. 12.* vocat Angelum

Angelum Satanae, & 1. Corinth. 6. dixit, *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus.* Quod exponens August. in *Psal. 86.* ait: Minatur Apostolus se iudicaturum Angelos. Quos Angelos, nisi Apostolus Angelos? Solet denique Angelorum nomen, & generaliter, & specialiter sumi. Nam inter spiritus Angelicos varij sunt gradus, seu ordines, ut infra videbimus, quibus omnibus commune est Angelorum nomen; interdum vero infimus illorum ordo Angelorum esse dicitur, quasi generis nomine infimæ speciei applicato. In præsentem vero de Angelis generaliter loquimur, ut bonis, & malis, superemis, medijs, & infimis nomen commune est, eorumque naturam significat.

De his ergo substantijs postea, quæ Canonici Scriptores attingunt, primus omnium ex professo scripsit Dionys. *lib. de celesti Hierarch.* & de diuinis nominibus, cuius doctrina posterioribus scriptores ad eam, quam de Angelis tradunt, confirmandam potissimum vsi sunt. Propter quod operæ pretium duxi in huius tractatus initio, admonere cauendam esse Erasmi, & aliorum audaciam, qui hos libros Dionysij Areopagita esse negant, quos Caiet. *Act. 17.* in fine ex parte imitatur, id in dubium reuocans. Apud viros autem prudentes nulla potest in hoc cadere dubitatio: nam antiqua traditio satis veritatem confirmat. A longiori vero disputatione, & defensione, ac confirmatione veritatis nunc abstinemus, quia viri doctissimi cum magna eruditione, ac diligentia id præstiterunt. Matth. Galen. in *Areopag.* Xystus Senens. in *Biblioth. lib. 2. Dionysij & lib. 6. ann. 229.* Baron. *tom. 2. anno Christi 109. an. 51.* Et alij, quos *Act. 17. in fine* Lorin. refert. Specialiter vero librum de celesti Hierarch. allegant Athanas. *lib. question. ad Antioch. q. 4.* & Gregor. *homilia 34. in Euang.* Quem male interpretatur Caiet. quod sub dubio illum allegauerit, quia dixit: Fateatur vero Dionys. Areopagita, antiquus videlicet, & venerabilis Pater, dicere, &c. Sed verba illa non sunt dubitantis de auctore illius operis, sed de quadam eius sententia, quam postea cum magna reuerentia tractat, & exponit, semperque eius sancti Patris esse supponit.

Magis posset mouere, quod Caietan. objicit, Hieronymum *lib. de scriptor. Eccles.* nullam Dionysij Areopag. mentionem fecisse. Respondet autem Baron. Hieronymum in Proemio sui operis profiteri, eos tantum scriptores recensere, quos inuenisset ab Eusebio recensitos. Vnde quia Eusebius nullam fecit mentionem Dionysij, & operum eius, ideo etiam Hieronymus de illo tacuit. Diuersa tamen fide, nam Eusebius (ut Baronius vult) hæretico spiritu occultauit opera Dionysij, quia Ariano errori sunt contraria; Hieronymus vero illa omisit, quia in Eusebio non inuenit. At enim (quidquid de Eusebio sit) ego in Hieronymo non lego, quod tantum illos commemorare proposuerit, quos Eusebius nominasset, sed verba eius sunt; quanquam Eusebius Pamphili in *decem Ecclesiastica historia libris* maximo nobis adiumento fuerit, & singulorum, de quibus scripturi sumus, volumina ætates suorum auctorum sæpe testentur, in quibus non dicit solum ab Eusebio sumpsisse auctores, sed illius historia adiutum fuisse: dum autem dicit *adiutum*, indicat aliunde etiam plura sumpsisse, & maxime ex voluminibus eorumdem scriptorum, ut statim significat. Quare ex alijs verbis, quæ Hieronymus adiungit, dici posse credo, eum non habuisse operum Dionysij notitiam, sic enim ait: Si qui autem de iis à me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis, quam mihi debent imputare, neque enim de his, quæ non legi, nosse potui; & quod alijs forsitan fuit notum, mihi in hoc angulo latitanti fuerit ignotum. Idem ergo ex his Dionysij scriptis illi accedere potuit.

Post Dionysium Theodoret. in *orationibus, seu libris contra Græcos*, tertium de Angelis inscripsit, sed maiorem illius partem in confutandis Dijs falsis Gentilium consumit; circa finem vero pauca de bonis, & malis Angelis ex diuinis Scripturis colligit, ut illorum comparatione Gentilium errores confundat. August. item in *lib. de Ciuit.* multa de Angelis attigit, præsertim in *lib. 9. 10. 11. & 12.* de illorum creatione, & Sanctorum gloria, ac malorum lapsu edisserit. Idem in *libris de Genesi ad litteram*, præsertim *lib. 3. 4. & 11. & in Enchirid. cap. 57. & sequentibus.* Itemque Origen. *lib. 1. Patriarch. cap. 5. 7. 8. & sequentibus.* Et de eisdem pauca attigit Damasc. *lib. 2. de fide. cap. 3. & 4.* Bernard. *lib. 5. de considerat. cap. 3. 4. & 5.* Gregor. etiam in *dicta homilia 34. de ordinibus Angelorum*, eorumque proprietatibus, & nominibus nonnulla docuit. Et plura quasi theoremata de eisdem tradit Isidor. in locis etymologiarum, & sententiarum supra allegatis. Alii vero Patres per occasionem tantum de illis tractantes varijs locis de illis loquuntur, quorum sententias pro disputationum opportunitate afferemus. Scholastici vero cum Magistro de Angelis disputant in *2. dist. 2. vsque ad 12.* Alenf. *2. p. a. q. 10. vsque ad 43.* Altiſiodoren. *libro 2. summe.* per quinque primos tractatus, Albert. in *2. p. summe. tract. 2. præcipue* vero D. Thomas *1. p. a. q. 50. vsque ad 64. & lib. 2. contr. Gent. à cap. 40. & disput. de spirit. creat. & opusc. 15.* Nos vero in tractatu per libros octo materiam hanc comprehendemus. Priores quatuor erunt de Angelis secundum naturalia spectatis: quatuor deinde posteriores eorundem Angelorum supernaturalia considerabunt.

Ad prio-

Nomen an-  
geli demo-  
nibus tri-  
bitur.5.  
Scripsit D.  
Dionys de  
Angelis non  
pauca.  
Id negatis  
Erasmi. reij-  
citur  
Et Caiet.  
dubitans.6.  
Caietani ob-  
iectio.  
Baronij re-  
sponſio.Non satisfa-  
cit.Probabilior  
responſio.7.  
Qua alij Pa-  
tres & Scho-  
lastici post  
Dionysij de  
Angelis scri-  
pserunt.Dispositio  
huius operis  
de Angelis  
& partitio.

*Ad priores libros quatuor de Angelis secundum sua ipsorum naturalia spectatis, præfatio.*

Quoniam ordo naturæ ad gratiæ ordinem supponitur, ea quoque in scribendo methodum circa Angelos obseruamus, in quibus vterque ordo reperitur: itaque subiectis libris quatuor, de substantia, productione, aliisque affectionibus Angelis connaturalibus, differemus, non eo tantum modo, quo solent Metaphysici, naturali scilicet discursu, sed iuxta principia Theologiæ, quæ ad ipsam quoque naturalem materiam exactius verandam apprimè conferunt, sic enim fiet, ut quæ de Angelis in Metaphysica intra terminos inferioris luminis tradidimus, vberius hoc loco intelligantur. Itaque primus liber erit de Angelorum essentia, seu substantia, & attributis ab ea non distinctis; secundus de intellectu ac perfectionibus eius, actuali quoque cognitione; tertius de voluntate, & actibus illius; quartus de potestate exterius agendi.



*ELENCHVS LIBRI PRIMI.*

**DE ANGELORVM NATVRA,  
productione, & attributis.**

Continens vltra præfationem capita 15.

- I. **A**N sit certum dari Angelos.
- II. Vtrum Angeli sint æterni, velesse inceperint.
- III. Quando Angeli creati fuerint.
- IV. Vbi Angeli creati fuerint.
- V. Vtrum Angeli sint omnino in sua substantia corporei.
- VI. Vtrum Angeli sint corporei tanquam ex corpore, & spiritu compositi.
- VII. Vtrum in Angelis sit aliqua substantialis compositio.
- VIII. Vtrum Angeli in essentia, & attributis finitæ perfectionis sint.
- IX. Vtrum Angeli omnino incorruptibiles sint, & necessaria entia dici possint.
- X. Obiectionibus contra doctrinam capituli superioris occurritur.
- XI. Vtrum Angeli in magno numero sint, & quantus ille sit.
- XII. Vtrum omnes Angeli sint eiusdem specificæ naturæ.
- XIII. Vtrum Angeli in tres Hierarchias, & nouem choros aptè distinguantur.
- XIV. Qua sit vnitatis, vel distinctio essentialis inter has Hierarchias, & ordines.
- XV. Vtrum omnes Angeli singulorum ordinum specie differant.

LIBER